D. D.

DISSERTATIO HISTORICA
DE
HOLMGARDIA,

CUJUS

PARTEM SECUNDAM,

CONSENTIENTE AMPLISSIMO SENATU PHILOS.

IN REGIA ACADEMIA ABOËNSI,

PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT

JOHANNES BILMARK,

FACULT. PHIL. ADJUNCTUS,

ET

JOHANNES MOLIN,

V. D. M.

WIBURGENSIS,

DIE IX. MAJI ANNI MDCCLIX,

L. H. Q. A. M. C.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc. Finland. JACOB MERCKELL.

S:Æ R:Æ M:TIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,
Illustrissimo & Excellentissimo
HEROI ac LIBERO BARONI,

D:N. CAROLO FREDERICO SCHEFFER,

REGIS Regnique Svio-Gothici SENATORI,
Regiæ Celsitudinis, *PRINCIPIS* Successoris,
nec non Reliquorum *PRINCIPUM* Hereditariorum
GUBERNATORI,
Regiorum Ordinum EQUITI ac COMMENDATORI,

MÆCENATI SUMMO.

ORbis amor, Patriæ columen, nova gloria secli,
Grande togæ lumen, Castalidumque decus.
Inclyta facta CUI meruerunt culmen honoris,
Virtutum radiis pluribus unde nites.

Pectore

Pectore nam TEcum seu regia dogmata volvas,
Omnibus ingenio crederis esse prior.
Seu clavum tractes, vel mundi seria libres,
Arbitrio, dicunt, cuncta subesse TUO.
Ergo perennantis Patriæ Divina salutis
Pignora sunt fidei credita jure TUÆ.
Ad TE, CELSE HEROS, latebris excita vetustis
Gens obscura venit jam trepidante gradu;
Nam TUA personuit terras sic fama remotas,
Ut cupiat fieri Nomine clara TUO.
Excipe eam facilis, sit nunc licet horrida cultu,
Et miti recipi non satis apta manu.
Dona simul Musæ vultu dignare sereno,
Quæ pietas jussit debita ferre TIBI.
Sic mihi nascetur rerum felicior ordo,
Quasque fovet messes sic mea Musa dabit.
Tempore quot verno gemmas nunc parturit arbos,
Et tepido promit gramina terra sinu;
Tot, rogo, percipias jucundæ commoda vitæ,
Quæ jam pro Patria subtrahis ipse TIBI!

Illustrissimæ Excellentiæ TUÆ

devotissimus cliens,
JOHANNES BILMARK.

Viro Admodum Reverendo atque Præclariſſimo,

DN. MAG. ARONI LIMATIO,

Præpoſito & Paſtori Eccleſiæ, quæ DEO in Padasjoki & Cuhmois colligitur, meritiſſimo, graviſſimo,

PARENTI OPTIMO.

ADeſt quidem jam dies multis pridem expetita votis; qua innumera Tua, Parens optime, in me collata beneficia publice declarandi oportuna mihi ſuppeditatur occaſio; ſed deſunt verba, deſuntque vires, quibus devotum teſter adfectum. Quo igitur me vertam? Aut quid Tibi rependam pro optima educatione, inter fortunæ bona primo loco ponenda? En diſſertationem, quam, proprio licet Marte non elaboratam, cariſſimo Tuo nomini inſcripſi, quamque in ſinu Tuo cernuus jam depono. Facilis, ut aſſoles, adſpicias munuſculum hoc ſola offerentis pietate æſtimandum. Vale igitur, Pater optime, cum matre cariſſima. Utrique autem veſtrum, proſperos ſucceſſus, placidam ſenectam, & ſerum e terris diſceſſum ingenua & prolixa veneratione apprecor, voveoque

OPTIMI PARENTIS

Filius obedientiſſimus,
JOHANNES MOLIN.

I. N. J.

QUemadmodum continuas rugas & pertinaces nimis meditationes non probant Muſæ, hilares atque ingenuas Gratias ſuo nunquam excludentes conſortio; ita optimam judicamus ſtudiorum rationem, qua cum ſeriis amœna ſubinde conjunguntur, ſine quo temperamento ſenſim perit naturalis animi vigor ad progreſſus in litteris faciendos utilis maxime ac neceſſarius. Licet igitur arduæ Mathematicæ & Phyſicæ ſcientiæ nobis in deliciis præcipue fuerint; in illas tamen non ita incubuimus, quin per lætos latosq; Hiſtoriæ, fideliſſimæ illius in vita recte inſtituenda magiſtræ (a), campos exſpatiari pridem conſveverimus. Impenſi autem huic diſciplinæ temporis aliquam redditurі rationem, opellæ noſtræ de *HOLMGARDIA*, quam multis abhinc annis exorſi ſumus, partem ſecundam in publicam nunc emittimus lucem, ſerius quidem, quam omnino par fuerat; quod tamen non ſocordiæ cuidam, quamvis

 Paul-

Paullum sepultæ distet inertiæ
Celata virtus (b);

sed ingenti operis hujus difficultati potissimum erit tribuendum. Fuerunt quidem, jam inde a renatis litteris, ne longius regrediamur, præclari Viri, qui in exponendis *Holmgardiæ* antiquitatibus egregiam admodum collocarunt operam; nihilo tamen minus, ne quid dissimulemus, res gestæ Holmgardorum & pleraque fata ipsorum patriæ, quondam maxime inclytæ, tam obscura adhuc sunt, ut cimmerias tenebras facilius dissipes, quam plenam in ista caligine accendas lucem (*c*). Nec his nebulis tollendis Moschovitarum sufficiunt annales. Pauca enim notatu digna isti habent; cujus defectus haud ultima censetur caussa, quod, cum ceteri per Europam populi Eruditos ad elucubrandam patriæ suæ historiam propositis excitarunt honoribus, Moschovitarum contra nemo per longum satis temporis intervallum ausus fuerit memorabilia hujus imperii exponere atque seris tradere nepotibus (*d*). In summa proinde domesticorum monumentorum inopia præcipuas, quas subiit Holmgardia, mutationes ex vicinarum gentium historiis collegimus. Inprimis vero quicquid in Scandicis occurrat annalibus, ad illustrandam Holmgardiam pertinens, oculo minime fugitivo sæpe perlustravimus, singulaque momenta, quæ ceteris notabiliora videbantur, sollicite expendimus. Tanti scilicet est, inter asperos montes, horridas silvas & uliginosas paludes, destructas arces ac funditus deleta, augusta quondam, Regum palatia,

tia, quorum ne quidem fatiscentes amplius supersunt ruinæ, indagare, atque pristinum eorundem splendorem aliis ostendere. Tanti etiam est, egregia magnorum Principum facinora ex chartis situ ac tineis valde corrosis in apricum iterum producere atque immortalitati, quam meruerunt, commendare. Ex quibus omnibus patet, quod arduam adeo in nos suscepimus provinciam, ut in illa rite obeunda satis haberet cultissima quævis Musa, si partes suas foret tuitura, ne dicam exornatura. Merito itaque tenuis nostra veretur camœna, ne jejuna sua tractatio de dignitate nobilis hujus materiæ plurimum deroget. Profecto quisquis ingeniosas sententias, exquisitos elegantiarum Rhetoricarum colores vel profundas consiliorum caussas, atque curiosas eventorum indagationes lepide expositas unice venetur, hisce legendis parum voluptatis capiet; sed argutiarum tamen defectum compensabunt ex mutilatis fragmentis ambiguisque laciniis collecta factorum memorabilium sincera narratio atque auctorum fide dignissimorum adducta testimonia, quæ nobis totidem sunt pignora veritatum, quas adstruere & vindicare nitimur. Hæc de instituti ratione breviter erant præmittenda; Tu vero, Benevole Lector, de nostris studiis ex consveto Tuo in aliorum scripta animi adfectu candide judica.

(*a*) Il n'ya rien de si beau, ni de si utile, que l' histoire, lorsqu' elle est bien écrite. - - Elle supplée à ce qui manque à l' experience de chacun, qui est toujours extrêmement bornée. vid. *CLERICI Parrhasiana Tom. I. p. m.* 131.

(*b*) Vid.

(b) Vid. *HORATII Carminum Libr. IV. Od. IX. v.* 29. & 30.

(c) Hinc caput hoc Hiſtoricum inter maxime ardua jure retulerunt Viri de antiquitatibus regnorum optime meriti. *JOH. DLUGOSSUS de NIEDZIELSKO in Hiſtoria Polonica Libr. I. p. m.* 23 fatetur, quod Auctorum varietas de origine Ruthenorum plus connubilet eandem, quam declaret. *Salomon NEUGEBAUERUS a Cadano in Hiſtoria Rerum Polonicarum p. m.* 2, quando, inquit, Ruſſi Sarmatiam habitare cœperint & unde venerint, nomenque acceperint, nihil certi ſcitur. Denique *Cel. Henricus BRENNERUS in epiſtola ſua ad Rev. Doct. Ericum BENZELIUM, quæ annexa eſt Ejusdem notis ad ſeriem Principum Iberiæ & Georgiæ poſt Moyſen Armenum p. m.* 106. ingenue fatetur, ſe ignorare, quinam populi ante Slavos vaſtas Ruſſiæ regiones inhabitaverint. Hunc vero ſcrupulum partim in *diſſertatione prima de Holmgardia* §. §. 6. 7. 8. 9, quæ An. 1750 ſub præſidio *Cel. Profeſſ. ac Biblioth. ALGOTHI SCARIN*, quem ceu Polyhiſtorum in Patria Phœnicem ſuſpicimus, prodiit, dudum ſuſtulimus, partim etiam in præſente opere plenius tollemus. (d) Vid. *Nob. Phil. Joh. STRAHLENBERGI librum Das Nord und Oſt-theil von Europa und Aſia p. m.* 196. Cui addas *Illuſtriſſ. THUANUM in Hiſtoriarum libr. XXI. ad An. MDLIIX.*

§. XIII.

Celebritatis regni Holmgardici certius nullum eſt argumentum, quam diverſa nomina, quibus a variis inſignitum fuit gentibus. Quasdam harum adpellationum, ut *GARDARICIÆ, OSTERGARDIÆ* (a), *AUSTURWEGIÆ* (b), *OSTWENDIÆ, HOLMGARDIÆ* atque *ULMERUGIÆ* dudum evolvimus, quæ adhuc ſuperſunt haud pauciores, jam a nobis breviſſime, quantum fieri poteſt, ſunt excutien-

cutiendæ. Quemadmodum igitur omnes ferme populos, ſeptentrionales orbis regiones incolentes, *SCYTHAS* vocarunt antiquiſſimi Græcorum ac Romanorum Scriptores; ita non eſt dubitandum, quin Holmgardi etiam hoc nomine olim fuerint comprehenſi. Terra enim, quam inhabitarunt Scythæ, qui in Europam migraverant, per octo menſes vim frigoris pene intolerabilem perferebat (c); quæ cœli aſperitas, neſcio, an in aliam terram magis quadret, quam in Holmgardiam. Abundabat præterea hæc Scythia animalibus, quæ alibi, quam in borealibus Finlandiæ & Holmgardiæ provinciis ægre reperiuntur (d). Porro non ſolum mare Gardariciam alluens, *Scythicum* cognomen longo poſt tempore retinuit (e), & regiones Holmgardiæ intra *Scythiam* ſitæ perhibentur (f); ſed etiam Hiſtorici fide digni noſtram ſententiam egregie confirmant (g). Quare, cum *OVIDIUS* a *Tomo* ſeptentrionem verſus *Boſporum*, *Tanaim* & tandem *Scythicas Paludes* occurrere canit (h); a veri certe ſpecie non abhorret, lacus Holmgardiæ, *Saimen*, ſcilicet, *Ladogam*, *Peipum* & *Onegam*, ab ipſo indigitari. Quid? quod, poſt ingentes rerum in Holmgardia converſiones, *Scythica* adpellatio apud populos maxime boreales nondum penitus obſoleverit. Simplices enim *Oſtiaki*, Holmgardorum nepotes, referunt Majores ſuos *TSCHUT* dictos fuiſſe (i), quod cum nomine, de quo jam diſquiritur, adprime convenit. Natales denique *Scythici* nominis haud opus eſt, ut in peregrinis lingvis quæramus: Gothicum enim illud eſt, deſcen-

descendens a *SKYTT sagittario*, unde *SKJUTA jaculari* (*k*); quod toti genti imposuerunt alii, admirabilem ipsorum in jaculando artem cernentes, Sagittariosque ab ipsis *Scythas* dici audientes. Hinc a Fennis nostris, Livonis, aliisque, Sagittarius nuncupatur *SKYTTA*, *Kytta* seu *Kytt* (*l*).

(*a*) Sicut nomina Gothica ore Græco & Romano, ipsis fatentibus, minus commode exprimi potuerunt; ita *Ostergardia* varie fuit inflexa. *PTOLOMÆO Ottorocora*, *AGATHIÆ Utigora*, *PROCOPIO Uttergoria*, *ADAMO BREMENSI in libro de situ Daniæ &c. p. m.* 58. *Edit. Erpoldi LINDENBROGII Ostrogard RUZZIÆ*, atque aliis Scriptoribus modo *Ottowera*, modo *Ottorgora* dicitur. Alandi adhuc Finlandiam, ulterioresque ad orientalem plagam sitas regiones *Osterlandiam* sæpe adpellant. (*b*) Hinc Holmgardiæ Rex *WISIWALDUS Austurwegs Kongr* h. e. Austurwegiæ Rex salutatur, vid. *ODDI MUNCHS Histor. om Olof Tryggwasson Cap. XXIII. p. m.* 112. Præterea vero *Austurwegiâ* interdum Mare Balticum, interdum quævis Orientalis terra significabatur. Proinde in *Pistavotta Sagur* seu *Historia Martyrum* legimus: *their haufdu sied hans stiornu i Austurwegnum*, h. e. Viderunt (Magi scil. apud Evangelistam) stellam Ejus in oriente. (*c*) *HERODOTI Melpomene p. m.* 145. Δυσχείμερος δὲ αὕτη ἡ καταλεχθεῖσα πᾶσα χώρη οὕτω δή τοί ἐστι· ἔνθα τοὺς μὲν ὀκτὼ τῶν μηνῶν ἀφόρητος. (*d*) *HERODOTI Mel. p. m.* 162. Ἐν δὲ ταύτῃ ἐνύδριες ἁλίσκονται, καὶ κάστορες καὶ ἄλλα θηρία τετραγωνοπρόσωπα, τῶν τὰ δέρματα περὶ τὰς σισύρας παραρράπτεται. (*e*) Sinus quidam ab occidentali Oceano versus orientem porrigitur, qui ab incolis adpellatur Balticus, itemque Mare Barbarum seu *Pelagus Scythicum* vid. *ADAMUM Brem. libr. cit. p. m.* 57. Adde *Radevicium FRISIUM in Descriptione Poloniæ libr. I. Cap. I. p. m.* 261. Atque *ERICUM Upsaliensem in Historia Svecana libr. I. p. m.* 10. (*f*) *Matthias a MIECHOVIA in Descriptione Moschoviæ p. m.* 207. testatur Juhram & Corelam (Careliam) esse in *Scythia*. (*g*) Vid. *STURLONIDIS Heimskringla Tom. I. p. m. I.* (*h*) *Tristium Libr. III. Eleg. IV. v.* 49. & 50.

Bosporus & Tanais superant, *Scythicæque Paludes*,
Vixque satis noti nomina pauca loci.

(*i*) Vid. *Joh. Bernh. von MULLERN in libro: Das Leben und Gewonheiten Der Ostiaken Cap. III.* §. 2. (*k*) Alii ut præcipuorum nominum sive Hebræam sive Græcam crepant originem, ita *Scythas* vel ab Hebr. שוט *discurrere, vagari*, unde cum in Sacro Codice *Israëlitæ* in deserto *errantes* dicuntur, Biblia Slavonica habent *Schitatisia*, quod significat *Scytharum more vagari*, vel etiam παρὰ τὸ Σκύζεσθαι *irasci* adpellatos fuisse existimant. Hos autem Auctores suo abundare sensu permittimus. (*l*) Vid. *Dissert. T. S. BAYERI de Origine Scytharum insertam Act. Petropolitan. Tom. I. p. m.* 391.

§. XIV.

INter Scytharum progenies haud ultimo loco ponendi sunt *SARMATÆ*, Græcis ΣΑΤΡΟΜΑΤΑΙ dicti, qui genus paternum ad *Scythas*, maternum vero ad *Amazonas* referebant (*a*), quarum militaria studia *Sarmatarum feminæ* diu æmulabantur (*b*). Nomen *Sarmatarum* omnino Gothicum est, ortum ex *SAR* quod *Dominum* & *MADUR virum* denotat, proindeque *Sarmadur* vel *Sarmata* convenit cum Goth. *Herreman*, *Domino* (*c*). Scilicet quantum ex vetustis colligere licet Scriptoribus, Juvenes illi, cum qui-

quibus consvescere solebant Amazones, ex genere *Regiorum Scytharum* (*d*) fuerunt, qui libertatem suam tanti fecerunt, ut audito solo servitutis nomine ira excanduerint (*e*). Vagi admodum erant *Sarmatæ*, quamobrem in diversis illos offendimus terris. Solum ipsis natale in confiniis Europæ & Asiæ fuit (*f*); hinc porro digressi in Europæas regiones magis magisque penetrarunt, adeo ut sec. I. Moschorum fuerint vicini (*g*); post quod tempus per Orientalem Europæ partem Septentrionem versus sese extenderunt, in littoribus Sinus Venedici (*h*) atque Maris Baltici, quod propterea *Sarmaticum* est dictum (*i*), consedentes.

(*a*) *Vid. HERODOTI Melp. p. m.* 162. (*b*) Confr. *HERODOTI Melp. p. m.* 163. Καὶ δίαιτῃ ἀπὸ τούτου χρέωνται τῇ παλαιῇ τῶν Σαυρομάτέων αἱ γυναῖκες, καὶ ἐπὶ θήρων ἐπὶ ἵππων ἐκφοιτῶσι ἅμα τοῖσι ἀνδράσι, καὶ χωρὶς τῶν ἀνδρῶν· καὶ ἐς πόλεμον φοιτῶσι· *STRABO in Geographiæ Libr. III. Cap. II.* Ἀμάζονας Σαυρομάτιδας prædicat. Et *POMPONIUS MELA de Situ Orbis Libr. III. Cap. IV.* de *Sarmatarum feminis* memoriæ hæc prodit: Arcus tendere, equitare, venari puellaria pensa sunt; ferire hostem adultarum stipendium est. (*c*) *Sarmatarum* nomen deducunt nonnulli a Fennicis vocabulis *Suori Magno* & *Ma terra*; adeoque *Saurima* & *Sarmatia* significarent *Russiam magnam*, quæ tamen opinio minus est probabilis, cum Sarmatæ ab initio haud ita magnam terram tenuerint. Incunabula vocis quærunt alii in Goth. *Saur* vel *Soer austro* & *Madur Viro*, adeo ut per *Sarmatas* indigitentur populi Australes. Vid. *STRAHLENBERG L. c. p. m.* 163. (*d*) Vid. *HERODOTI Melp. p. m.* 144. ubi *Regii Scythæ* vocantur Σκύθαι οἱ ἄριστοί τε καὶ πλεῖστοι, qui ceteros Scythas pro servis habebant. (*e*) *HERODOT. C. CXXVIII.* Οἱ Σκυθέων βασιλῆες ἀκούσαντες τῆς δουλοσύνης τὸ ὄνομα, ὀργῆς ἐπλήσθησαν. (*f*) Vid. *HERODOT. p. m.* 162. (*g*) Vid. *LUCANI Pharsal. Libr. III. v* 270.

Sævisque affinis *SARMATA MOSCHIS*.

(*h*) Hinc *PTOLOMÆUS* in Geograph. Libr. III. Cap. V, adserit *Sarmatiæ* gentes Venedas tenere omnem oram Sinus Venedici, quæ nunc habitatur a Borussis, Curlandis, Samogitis & Livonis. Adde *Martini CROMERI Chronicon de Origine & Rebus gestis Polonorum Libr. I. Cap.* 9. & 13. (*i*) Conf. *Pauli JOVII Novocomensis librum de Legatione Moschovitarum p. m.* 122.

§. XV.

Natales *SLAVICI* nominis a Goth. *SLAF* (*Servo*) multi quidem Auctores, licet minus commode, repetunt (*a*); vix enim uspiam inventa est natio, quæ tantam jactavit nobilitatem & fortitudinem, atque hæc (*b*). Propius igitur ad veritatem accedunt, qui nomen hoc derivant a *Slawá*, quod lingva horum populorum *gloriam* (*c*) significat; unde porro *Slawaki nobilem* ac *illustrem* denotat. Græcis ΣΚΛΑΒΟΙ & ΣΚΛΑΒΙΝΙΟΙ & Italis hodiernis *Schiavones* audiunt (*d*). Scilicet postquam hi Scytharum nepotes plurimas regiones, quæ in occidentem & septentrionem latissime patent, victricibus signis peragraverant, ob multa eademque Heroica facinora *Slavos* i. e. rerum gestarum gloria illustres sese adpellari voluerunt (*e*); adeoque nomen hoc ab initio non fuit proprium, sed adpellativum. Confirmatur autem inde nostra sententia, partim quod nomen hoc apud Scriptores seculo quinto priores non occurrat (*f*); partim etiam,

iam, quod prolixam Regibus ſuis exhibituri reverentiam, nominibus ipſorum vocabulum *Slabos* vel *Slavus* ſuffixerint, quo eminentiam ejus, minime vero ſtatum quendam ſervilem indicarunt. Quod denique ſedes *Slavorum* attinet, pars illorum in Polonia & Germania ſubſtitit, alia autem longius progreſſa per Holmgardiam ad Mare Balticum & Sinum Venedicum ſeſe extendit; a quo tempore Holmgardi *Slavorum* nomine in annalibus haud raro fuerunt inſigniti (*g*).

(*a*) Vid. *BJÖRNERI Schediaſma de Varegis p. m.* 138. & *ſeqq.* (*b*) Nullam gentem *Slavis* eſſe honeſtiorem fatebatur olim, qui res ipſorum geſtas conſignavit, *HELMOLDUS in Chronico Slavico.* (*c*) Confr. *Pauli PIASECII Chronicon rerum Polonicarum p. m.* 55. Cui addatur *Ægid. FLETCHER the Hiſtory of Ruſſia Cap.* 13. (*d*) Vid. *Rev. Doct. G. WALLINI Parentalia in obitum J. G. SPARWENFELDII p. m.* 24. (*e*) Vid. *CROMERI libr. cit. Cap. VII.* (*f*) *PROCOPIUS* primus omnium cenſetur, qui *in Hiſtoria Gothica*, nomen *Slavicum* adhibuit, ante quod ævum hi populi vulgo dicebantur *Venedi* & *Vinidi.* Quamobrem *SCHURZFLEISCHIUS in Hiſtoria regni populique Burgundionum p. m.* 4. fatetur nomen *Slavorum* ante tempora Franco-Merovingorum nusquam legi. (g) *Sigismundus liber Baro in HERBERSTAIN in Commentario rerum Moſchovitarum p. m.* 1. narrat, Ruthenos ſponte fateri ſe *Slavos* eſſe. *CROMERUS in Hiſt. Libr. I. Cap.* 9. & 13. luculenter oſtendit, Venedos, Slavos & Sarmatas unam eandemque gentem olim conſtituiſſe: atque *SCHURZFLEISCHIUS in diſſertat. de Rebus Slavicis p. m.* 3. monet, quod *Gregorius ABULPHARAGIUS* Slaviam & Sarmatiam conjungat; unde porro concludit, illa Alaniam, *Ruſſiam* & Bulgariam comprehendi. Nec denique noſtræ ſententiæ

ita

ita adverſatur *CONSTANTINUS PORPHYROGENITUS*, Imperator idem & Philoſophus, ut nobis conciliari omnino nequeat. Ipſi quidem *in libro de Adminiſtrando imperio Cap. IX. p. m.* 15. dicuntur Σκλάβοι οἱ πακτιῶται τῶν Ῥῶς; ſed niſi admodum fallimur, illi hic indigitantur Slavi, qui Poloniam occupaverant.

§. XVI.

SI conjecturas omnes de origine nominum *MOSCHORUM* & *RUTHENORUM* adduceremus, loquacem prius delaſſaremus Fabium, quam exitum orationis inveniremus. Pauca igitur, eaque quæ noſtro maxime conveniant inſtituto, jam proferemus. Tempore Darii Hyſtaspis *Moſchi* ſeu *Moſchovitæ* in Ponticis habitarunt terris, Regique Perſarum annua penderunt tributa (*a*). Deinde ex Aſia in Europam migrarunt, atque proximis poſt C. N. ſeculis in confiniis Hungariæ, Poloniæ & Holmgardiæ vagabundi ipſorum penates brevem obtinuerunt requiem (*b*). Tandem auſtrales Holmgardiæ provincias occuparunt; quo nomen Moſchoviæ huic imperio, licet ſerius (*c*), fuit impoſitum. *Ruthenos* porro primum offendimus ad Araxem fluvium, ab Arabibus *Rhos* dictum, unde Ruſſici nominis natales quidam repetunt; quos tamen alii a *Roſſeja*, quod *gentem diſperſam & vagam* ſignificat, potiori jure deducunt (*d*). Transmiſſo Araxe, cum *Rhoſſi* Tauricam ſibi ſubjecisſent, illa pariter *Rhos* vocari cœpit (*e*). Hinc denique egreſſi ad Sinum usque Venedicum perre-

B 2 xerunt,

xerunt, atque Finnorum & Alanorum sedes inundarunt; quo factum est, ut *Rossphinnorum* (*f*) & *Rhoxalanorum* seu *Rhoxolanorum* mentio in annalibus passim habeatur (*g*).

(*a*) Vid. ***HERODOTI Thal.*** *p. m.* 127. Μόσχοισι δὲ, καὶ Τιβαρηνοῖσι καὶ Μάκρωσι καὶ Μοσσυνοίκοισι καὶ Μάρδοισι τριηκόσια τάλαντα προσετέτακτο. (*b*) *Sidonius* ***APOLLINARIS*** *in Panegyrico Majoriani v.* 478. & *seqq.*

- - - - Nam quicquid langvidus axis,
Cardine Sithonio sub Parrhase parturit ursa,
Hoc totum tua signa pavet. Basterna, Suëvus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, ***MOSCHUS,***
Post aquilas venere Tuas.

(*c*) Vid. *Paul.* ***JOVII*** *Libr. cit. p. m.* 121. (*d*) Confr. ***HERBERSTEINII*** *Libr. cit. p. m.* 1. (*e*) Videat. ***TZETZES*** *in Chiliadibus Historicis.* (*f*) Vid. ***PTOLOMÆI*** *Geograph. Libr. III. Cap.* 9. (*g*) Confr. ***VOPISCUS*** *in Aureliano Cap.* 33.

§. XVII.

GRÆCIÆ quoque nomine olim insignitam fuisse Holmgardiam, itinera a Majoribus nostris illuc suscepta satis ostendunt. Perhibent enim annales, quod classes e portu *Sliaswig* partim in Slavaniam, partim in Svethiam, partim in Semlandiam & usque in *Græciam* quondam fuerint emissæ (*a*). Si vero præternavigemus Semlandiam, cursum in orientem dirigentes, in Sinum pervenimus Venedicum, atque iter hoc maritimum continuantes sine ullo Palinuro in Holmgardiam delabimur;

quæ proinde inter ceteras adpellationes *Græcia* a nostris dicta fuit. Legimus porro in vetustis scriptis, quod Mare Rutzenum breve brachium in *Græciam* extendat (*b*). Cum igitur Mare Rutzenum sit Mare Balticum, brachium, quod exserit, erit Sinus Venedicus; adeoque *Græcia*, quam extrema hujus ora radit, erit Holmgardia. Quid? Quod Sveones in Gardariciam profecti, in Græciam sese contulisse non raro memorentur. Denique non tantum *Kiovia*, Holmgardiæ civitas, amplissimum *Græciæ* decus salutatur (*c*); verum etiam *Julinum* habitari dicitur a Barbaris, Slavis & *Græcis* (*d*); quo nomine *Argivi* tanto minus indigitantur, quod nullo idoneo constet argumento, hos unquam colonias in Pomeraniam misisse. *Græcia* autem adpellata fuit hæc terra, vel quod Græcam cives profiterentur religionem (*e*); vel forte nomen hoc nimis celeri *Gardariciæ* pronuntiationi originem debet. Hinc tamen minime consequitur, Scandinaviæ populos ante secul. XI, ut nonnulli existimant, ad *Dorica* non adpulisse littora. Ductu enim Regis *SVEGDERI* ad urbem *Asgard* & hinc in *Græciam* penetrarunt Gothi (*f*); atque postmodum ex mare Ægeo (*Girkahaf*) immensas secum opes in Septentrionem reportarunt (*g*). Ex annalibus porro constat, partim quod Holmgardi, qui nihil fere egregii prisco ævo sine socia Svecorum ope præstiterunt, circa finem seculi IX Constantinopolin sese contulerint (*h*), partim etiam, quod multi Sveonum, qui *WALDEMARO*,

Holmgardiæ Regi, in auxilium miſſi erant, expeditionem in Græciam circa medium ſecul. X ſusceperint, ubi ab Imperatore CPLitano per urbes disperſi fuerunt, ne nova molirentur (*i*). Paulo poſt *OLAVUS TRYGGONIDES*, poſtquam multa fortitudinis documenta in Holmgardia edidiſſet, in Græciam abiit, indeque circa A. 983 (*k*) reverſus, a ſuis *OLAVUS GRÆCUS* (*Oli hin Girſke l*) nuncupatus fuit. Plura argumenta ſcientes præterimus.

(*a*) Vid. *ADAMI BREM. Libr. de ſitu Dan. p. m.* 56. (*b*) Vid. *Incerti Auctoris Chronicon Schlavonicum adnexum cit. Adami Br. Operi Cap. II.* (*c*) Vid. infra §. XXVII. (*d*) Vid. *ADAMI Br. Hiſtor. Eccl. Libr. II. p. m.* 19. „ Julinum eſt maxima urbs omnium, quas Europa claudit, civitatum, quam incolunt Slavi cum aliis gentibus *Græcis* & Barbaris. „ (*e*) Vid. *SCHURZFLEISCHII Diſſert. de Stephano RAZIN &c. p. m.* 4. (*f*) Confr. *Joh. PERINGSKJÖLDII* Ättartal *p. m.* 9. (*g*) Vid. *HERRAUDI & BOSÆ Hiſt. p. m.* 33, qui ambo illuſtres viri circa initium ſec. VIII vixerunt. *OSTENIUS* etiam, hujusque filius *HALFDANUS*, Norwagiæ Principes, eodem ſeculo piraticam late exercuerunt tam in occidentali Aſiæ parte & *Græcia*, quam per Blalandiam & Morlandiam. Vid. *HALFDANI Oſtenidis Hiſt. Cap. II. p. m.* 3. (*h*) Vid. *CONST. PORPHYR. Libr. cit. p. m.* 15. (*i*) Confr. *Act. Petropolit. Tom. IV. p. m.* 304 & 305. Immo *Joh. CINNAMUS* ipſe Græcus & Græcarum Litterarum peritiſſimus *in Hiſtor. Libr. I.* diſerte adfirmat, *Varingos* Gothicos diu ante ſeculum XI in Græcia apud Imperatores CPlitanos ſtipendia meruiſſe. (*k*) Vid. *citat. ODDI MUNCKS Hiſtor. p. m.* 42. collat. cum *OERNHJELMI Hiſtor. Eccl. p. m.* 597. (*l*) Confr. *STURLONIDIS Tom. I. p. m.* 237.

§. XVIII.

§. XVIII.

DROMITÆ porro, Græcis ΔΡΟΜΙΤΑΙ, nonnunquam dicti fuerunt Holmgardiæ cives (*a*); cujus adpellationis origo arceſſenda videtur non tam ἀπὸ τῦ δρόμυ *curſu*, quam potius a vocabulis Goth. *Dromund* & *Droman*, quibus olim indigitabantur remiges, naves celerrime impellentes (*b*). Præterea *SPORI* quoque ſubinde vocati fuerunt *Gardariciani* (*c*); quod nomen quoad ſignificationem adprime convenit cum Slavonico *Rhoſſi*, utrumque ſcil. *gentem disperſam* denotat (*d*). Sicut enim *Spori* primum dicti fuerunt, qui in disperſis Maris Carpathii inſulis habitabant (*e*); ita idem nomen ad populum, raras *Archipelagi Saimitici* inſulas tenentem, haud incommode ſequenti tempore fuit translatum (*f*).

(*a*) Videatur *Simeon LOGOTHETA in Annalibus Imperatoris Conſtantini Porphyrogeniti Cap. XLVI.* Οἱ Ρῶς οἱ καὶ Δρομῖται λεγόμενοι, οἱ ἐκ γένυς τῶ Φράγγων ὄντες, h. e. Ruſſi, qui etiam *Dromitæ* dicuntur, ex genere Francorum. Aliam vero gentem, quam Holmgardos, per *Dromitas* hoc loco indigitari exiſtimat *Chriſtian. SCHOETTGENIUS in Diſſert. de Ruſſorum Synonymis p. m.* 6, hoc nixus fundamento, quod Rutheni ad Francos referri nequeant. Sed in memoriam ſibi non revocaſſe videtur, Vir alioquin acutiſſimus, quod late adeo patuerit olim Francorum nomen, ut quisque ab Europa veniens a Græcis quondam, ſicut hodie a Turcis, ceterisque Aſiaticis gentibus *Effrengi* ſeu *Francus* diceretur, vid. *BAYER in Actis Petropol. Tom. IV. p. m.* 294. (*b*) Vid. *J. PERINGSKJÖLDII Notas ad vitam Theodorici p. m.* 163. Erant autem *Dromones*, Goth. *Dromar*, naves ſubductiores, tabulatis

tabulatis undique ad propugnaculi speciem communitæ, vid. *Joh. MAGNI Histor. Sveo-Goth. Libr. IX. p. m.* 376. (*c*) Vid. *SARNICII Annal. Polon. Libr. IV. p. m.* 1017. Hic iterum hæsitantem invenimus *Cl. SCHOETTGENIUM in Differt. cit. p.* 6, qui nixus auctoritate *PROCOPII* in *Libr. de Bello Gothico p. m.* 498, *Sproorum* nomine non Holmgardos, sed gentem Slavonicam indigitari putat. Verum cum Holmgardi celebri Slavorum titulo quoque fuerint insigniti, ceu modo ostendimus, *Spororum* adpellatio tam levi argumento ipsis derogari nequit. (*d*) Confr. *STRAHLENBERGII Libr. cit. p. m.* 169. (*e*) Vid. *STRABONIS Geograph. Libr. II. p. m.* 186. (*f*) Obiter monemus, quod minus probabilis sit sententia *PROCOPII*, qui *Libr. II. Cap. II.* §. 3. *Sporos* ita dictos existimat, quod in dissitis admodum casis ignobilem degerent vitam. Raræ enim & incertæ omnium fere gentium Septentrionalium olim fuerunt habitationes.

§. XIX.

IN genuino etymo veroque *RISALANDIÆ* situ tradendo haud mediocrem reperimus Auctorum inconstantiam. Plerique tamen in eo conveniunt, quod nominis natales sint repetendi a *RISAR Gigantibus* (*a*), adeo ut *Risalandia* vera *Gigantum patria* fuerit. Hæc autem opinio difficultatibus nec levibus nec paucis nostro judicio premitur (*b*). Commodius itaque deducitur hoc nomen a *HRYSI* vel *RYSI*, quod veteri lingva Gothica *silvam* significabat (*c*); adeoque *Rysilandia* vel *Risalandia* erit regio vastis densisque abundans silvis: qua quidem notione, nescio, an ulla propius veteris Holmgardiæ faciem exprimat. Situm denique *Risalandiæ* luculenter ostendunt annales nostri, exhibentes illam ab oriente versus Mare Balticum exporrectam, (*d*) atque Gardariciæ vicinam, ab hoc tamen regno, ut partem a toto, distinctam (*e*).

(*a*) Vid. *MESSENII Scondiæ Illustratæ Tom. XIII. p. m.* 18; *Cel. BJÖRNERI Sched. de Varegis p. m.* 114, 123. *&c.* aliosque. (*b*) Gigantes olim in septentrione habitasse, multaque hic nefaria perpetrasse facinora, haud pauci contendunt Scriptores. Si autem ab illis terram, quam incoluerunt, quæras, tantum animadvertes dissensum, ut ægre invenias locum, quo fessum figas pedem. Non equidem negamus, fuisse cum alibi, tum etiam in Scandinavia homines proceræ admodum staturæ atque ingentia Virorum robora; integram vero ipsorum nationem nusquam reperimus, nisi in tenebricosis forte planetæ *Jovis* regionibus, *Vid. Christian. WOLFII Astronom. p. m.* 438. Parum etiam nos turbat nomen *Jettaheim.* Si quid enim ad equamur, vocabula *Jettaheim, Jetteheim, Geteheim, Götheheim, & Gothunheim* litteris aliquantum diversa, sono non magis a se invicem differunt, quam ut hæc diversitas a genio loquendi populorum, varias Svethiæ provincias incolentium, oriri potuerit omnis. (*c*) Vid. *Herwara Histor. Cap. XVII. p. m.* 162. (*d*) Confr. *SAMSONAR-FAGRAS Histor. Cap. XIII. p. m.* 20. *Godmundr hiet Konger, han atti ad ræda fyrer Auster aj Glæsisvollum, that er auster lega fyrer Risalandi. Risaland ligger til Austurz oc Nordurz of Austyrweiginum, h. e.* Rex Gudmundus in oriente Glæsisvollæ gubernacula administravit. Est hæc vallis orientem versus, sed ante Risalandiæ terram locum sortita. Risalandia autem, tam orientalis quam septentrionalis, Mari Baltico alluitur. (*e*) Has terras distingvunt *Origines Island. Landnema: Thorgil hiet Son theira, han atti Elinu Dottur Burislafs Konungs or Gardur Austan oc Ingiabiargar Sy-*

steir

ſteir Dagſtigs Riſa Kongz i. e. Thorgillus, filius eorum, uxorem habuit Elinu filiam Regis Buriſlafi Gardaricienſis atque Ingiabiargæ, quæ Riſalandiæ Regis Dagſtigi ſoror erat.

§. XX.

HUNNOS in tuguriolis & plauſtris ſub pellibus ac dio ævum tranſigentes deprehendimus. A Gothico *Hund cane* nuncupatos fuiſſe *Hunnos*, eoque nomine vel formam corporis caninæ haud disſimilem, vel ſaltem veſtitum harum gentium indigitatum fuiſſe, multi contendunt Hiſtorici (*a*). Hæc autem opinio, tacito licet plurium ſeculorum conſenſu firmata, jocoſa magis, quam vera nobis videtur. *Hunnos* igitur a vocabulo Fennico, olim magis quam hodie familiari, *Hunnu equo ſeu equulo* (*b*) primum adpellatos, eoque vitam degendi rationem horum populorum fuiſſe ſignificatam, modeſte contendimus. Profecto ſicut Græci quondam nonnullas gentes ab *Equis* vocarunt ΙΠΠΟΒΑΤΑΣ (*c*), alias autem ΙΠΠΟΤΟΞΟΤΑΣ, qui ſcilicet probe callerent artem equitandi nec non ſagittas ex equis in hoſtes jaculandi (*d*); ita Holmgardos quoque ab equis, parvis quidem, ſed admodum pernicibus (*e*), nomen *Hunnorum* fuiſſe ſortitos, perquam eſt veroſimile. A Græcis Scriptoribus ΧΟΥΝΟΙ (*f*), atque Latinis *CHUNI* (*g*) adpellantur. Hæc de origine nominis dicta ſufficiant. Patriam porro *Hunnorum* in Holmgardicis oris quærendam eſſe, ex difficillimo *STURLOGI* itinere in *Hunalandiam* ſuſcepto evidenter colligi poteſt. Fortiſſimus enim hic

hic Heros ex Norwegia, natali ſolo, navem ſolvens boream verſus contendit, atque *Halogalandiam*, *Finmarckiam* & *Wattensnäs* prætervectus, in ſinum *Ollſavik* (*h*) pervenit. Hinc rurſus ſecundis digreſſus ventis, curſum direxit, quo conſtituerat, atque ad terram adpulit, denſis undique ſeptam ſilvis, quam *Sturlogi* comes & amicus *FRADMARUS* ex fratris ſui *KOLI* narratione *Hunalandiam* eſſe agnovit (*i*). Eandem porro terram haud procul a Bjarmia, ad oſtia fluminis Dvinæ (*Winæ*) ſita, remotam fuiſſe, ex reditu *Sturlogi* ſatis intelligitur (*k*). Rebus ita conſtitutis, diſſenſum Auctorum (*l*), qui in aliis aliisque Svethiæ provinciis antiquiſſimas *Hunnorum* ſedes collocant, tanto minus reformidamus, quod noſtram ſententiam non ſolum ſitus regionis, ſicut oſtendimus, verum etiam Hiſtorici numero multi, auctoritate graves abunde confirment (*m*). Sequenti tandem tempore Hunnorum gens ex Holmgardia emigravit, atque ſedes ſuas juxta Pontum Euxinum conſtituit, indeque per Pannoniam, Italiam, aliasque tam Europæ, quam Aſiæ terras ſe diffudit (*n*).

(*a*) Homines canino capite præditos ſeu ΚΥΝΟΚΕΦΑΛΟΥΣ dari, populari fama crediderunt *HERODOTUS in Melpom. p. m.* 179, *CTESIAS in Hiſtor. Indica p. m.* 15, *ADAMUS BREM. in libr. de Situ Daniæ p. m.* 59, *Paulus VARNEFRIDUS in Hiſtoria Longobardorum p. m.* 751, ut alios ſicco prætereamus pede. (*b*) Vid. *Rev. Ep. JUSLENII Lexicon Fennicum.* (*c*) Confr. *HERODOTI Terpſichore p. m.* 198. (*d*) Vid. *HERODOTI Calliope p. m.* 336. Hos ἱπποτοξότας egregie deſcribit *OVIDIUS in Triſtium libr. V. Eleg. VII. v.* 13. - - - 16.

SARMATICÆ major *GETICÆque* frequentia gentis
Per medias in *EQUIS* itque reditque vias.
In quibus est nemo, qui non Coryton & arcum
Telaque vipereo lurida felle gerat.

(e) Vid. *HERBERSTEINI libr. cit. p. m.* 41. & *HEIDENSTEINI libr. de Bello Moschovitico &c. p. m.* 409. (f) Μεταξὺ δὲ Βαστέρνων καὶ Ῥοξολάνων οἱ ΧΟΥΝΟΙ, *PTOLOMÆUS in Geogr. Libr. III. Cap. V.* (g) *CLAUDIANUS in Eutropium Libr. II. v.* 338,

- - - - - Si *CHUNUS* feriat, si Sarmata portas.

Et *in Stilichonem Libr. I. v.* 110, 111,

Nec vaga *Chunorum* feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.

(h) Sinum *Ollsavik* Mare album fuisse, ab adjacente nobilissimo emporio *Holmgård* primum *Holmsiöwik*, deinde *Hollsiöwik* & denique *Ollsawik* vocatum nervose ostendit *Petr. SALANUS in Notis ad Eigilli & Asmundi Histor p. m.* 89. (i) Vid. *STURLOGI Starfsamas Historiam editam a Gudmundo Olavi filio Cap. XVI. p. m.* 38. & *Cap. XVII. p. m.* 44. (k) Vid. *cit. Sturlogi Histor. Cap. XVIII. p. m.* 49. (l) Magno inprimis argumentorum adparatu *Hunalandiam* in occidentalibus Sinus Bothnici littoribus sitam fuisse pro eo, quo in natale solum flagrabat amore, ostendere nititur *Nob. BJÖRNERUS* partim in *Differt. de Svedia Boreali Cap. V. p. m.* 19. & 20, partim etiam in *Descriptione Gothunheimiæ p. m.* 89. & *seqq.* (m) *HELMOLDUS in initio Chronici Slavici*, Russia, inquit, etiam *Chunigard* dicitur, eo quod ibi sedes *Hunnorum* prima fuerit. *AMMIANUS MARCELLINUS in Histor.* Hunnos glacialis maris accolas facit. *HORNIUS in libro de Origine gentis Americanæ Libr. III. Cap.* 4. Hunnos cum Lapponibus, Svecis, Russisque eosdem constituit. *MATTHIAS à MIECHOVIA in Descriptione Moschoviæ p. m.* 209. tradit *Hunnos* Carelorum vicinos fuisse; & denique ex *EIGILLI & ASMUNDI Histor. p. m.* 1. constat Hunalandiam attigisse Risalandiam.

(n) Confr. *Alexandri GWAGNINI Veronensis Descriptionem omnium regionum Moschoviæ Monarchæ subjectarum p. m.* 167. Cui addantur *THIDERIKS af BÆRN Historia*, aliique passim Auctores.

§. XXI.

NOmini Holmgardorum nuperrime evoluto perquam affinis est illa adpellatio, qua *RIDGOTHI* seu *Gothi Equestres* vocabantur. Gens hæc admodum celebris olim fuit; proindeque in Scriptis Historicorum sedes non raro mutare coacta: Danis *RidGothos* in *Jutiam* transferentibus (a); Svecorum autem aliis *Smalandiæ* ipsos adserentibus (b), aliis vero in *Norrlandia* veram ipsorum patriam collocantibus (c). Cum vero prolixum nimis foret, argumenta, quibus hæ nituntur opiniones, singula examinare, illa solum adferemus, quæ ad nostram sententiam vindicandam inprimis faciant. Igitur cum *RidGothiæ* contermina in nostris annalibus describatur *Vinlandia* (d), atque per hanc ex suffragiis Auctorum (e) nostra intelligatur Finlandia; extra omnem dubitationis aleam est positum, *RidGothiam* veteris Holmgardiæ partem constituisse (f). Quid? Quod Rex Svethiæ *DAGUS SAPIENS*, injuriam sibi a *RidGothis* illatam ulturus, in ipsorum terram exercitum trajecerit; civibus autem subjugatis telo in *RidGothia* subdole fuerit interfectus. Hoc vero in *Austurwegia* seu *Holmgardia* contigisse, auctor est *THJODOLPHUS* (g).

(a) Vid. *Thomæ BARTHOLINI Antiquitates Danic. Libr. II. Cap.* 7. *p. m.* 394. Locum vero ex *OLAVI TRYGGONIDIS*

NIDIS Historia, quem tam ipse, quam Scriptorum Danicorum alii adducunt, non satis integrum & sincerum esse ostendit *Cel. VERELIUS in Notis ad Herwaræ Histor. p. m.* 121. (*b*) Confr. *Laudat. VERELIUM in Notis ad Cap. X. Herwar. Hist.* ubi *RidGothiam* a Goth. *Rid* & *Ryd* casa seu tuguriolo dictam; adeoque *RidGothiæ* nomen *Smalandiæ* præ ceteris regni provinciis convenire autumat. (*c*) Vid. *Nob. BJÖRNERI Dissert. de Svedia Boreali Cap. VI.* atque *Ejusdem Schediasma de Gothunheimia p. m.* 53. *seqq.* (*d*) Vid. *PERINGSKJÖLDII Additamenta ad Sturlonidis Heimskringla p. m.* 461, ubi hæc leguntur: *Sigurthur Orm i Auga hafdi Jutland ok alla eyar Skaney ok Halland. Hwitserkur hafdi Reidgothaland ok thar meth Vinland meth theim landum er thar liggia til.* hoc est: Sigurdus oculo serpentino Jutlandiam nec non omnes insulas Scaniam & Hallandiam obtinuit. Hwitserkerus autem accepit RidGothiam una cum Vinlandia, ceterisque adjacentibus terris. (*e*) Vide præter multos alios *Anonymi Chronicon Finlandiæ in Nob. NETTELBLADII Schwedische Bibliothek. P. I. p. m.* 101. (*f*) Vid. *SALANI Not. ad EIGILLI Hist. p. m.* 144. (*g*) Confr. *STURLONIDIS libr. cit. Tom. I. p.* 22.

§. XXII.

DE *SERKLANDIA* antea egimus, illamque duplicem esse simul monuimus (*a*). De *Europæa* quasdam stricturas, ex propositi nostri tenore nunc addemus. Descendere videtur nomen hoc a *Serk*, quod non solum *tunicam intimam*, sed etiam *loricam* denotat. Commodius tamen, nostro quidem judicio, deducitur hoc vocabulum a Fenn. *Serku*, quod *Consobrinum* significat; quo titulo cum sese frequenter compellarent *Serklandi*, vicini ipsorum hinc occasionem sunt nacti terram *Serklandiam* cognominandi. Situm porro terræ hujus egregie pandunt annales nostri, indicantes *EIGILLUM* & *HERRAUDUM* primum trajecisse Mare Balticum & deinde post brevem navigationem in *Serklandiam* pervenisse (*b*). Constat igitur, *Serklandiam* fuisse occidentalem Holmgardiæ provinciam (*c*), quo nomine postmodum Africa a Scandinavis, licet alio sensu, fuit insignita (*d*).

(*a*) Vid. *Dissert. nostram primam de Holmgardia p.* 9. & 10. (*b*) Vid. *EIGILLI & Asmundi Hist. p. m.* 75. (*c*) Confr. *Nob. RHENHJELMI Notas ad Thorstani Wikinsonii Histor. p. m.* 12. & *P. SALANI Not. cit. p. m.* 154. (*d*) Vid. *STURLONIDIS Tom. II. p. m.* 60, 68, 236.

§. XXIII.

BEnignam ab æquo Censore veniam nos facile impetraturos speramus, quod disquisitionibus his Etymologicis ac Geographicis ipsum nimio plus detinuerimus; illis certe supersedere nec potuimus nec debuimus. Ex his autem explicatis, duplicem inprimis laboris fructum nunc colligimus, partim quod regiones, quæ positionem in globo nostro toties fere, ac errantes in cœlo planetæ, mutare sunt coactæ, fixis suis jam subjiciantur stellis, partim quoque hinc discimus, unde antiquissimi Holmgardiæ cives venerint. Profecto, cum Synonyma Holmgardiæ a nobis hactenus recensita, pleraque Gothicam prodant originem, firmiter admodum concludimus, incolas hujus regni ex Svethia, vagina illa gentium, ortos fuisse. Scilicet primorum Scandi-

Scandinaviæ civium, ex Asia per lacus & flumina Moschoviæ ad septentrionales Europæ partes sese conferentium, pauci omnino prius substiterunt, quam in Scandiam pervenissent *(a)*. Hic autem brevi temporis intervallo & numero & potentia valde aucti, ac præterea ultimæ *OTHINI II.* voluntati & præcepto de bello Romanis semper inferendo satisfacturi, ad orientales has oras, quamprimum fieri potuit, colonias miserunt, ex quibus prima quasi stamina gentis Holmgardicæ, quæ postmodum floruit, deducere convenit. Non tamen propterea existimamus, vel omnes Holmgardiæ incolas ex sola Scandia, vel, qui ex illa venerint, eodem tempore singulos huc accessisse. Credere enim par est, & Holmgardicam nationem ex diversis admodum gentibus coaluisse, & colonias Gothicas, quæ boreales inprimis imperii hujus terras occuparunt, variis temporibus e natali solo exiisse. Denique, ne quis suspicetur, nos hæc adstruendo nugas vendere, aut conjecturas omni auctoritate destitutas aliis obtrudere, paucis ostendemus, Scriptores subacti judicii ac probatæ integritatis ad nostras accedere partes, quorum adsurgere testimoniis quemvis decet ingenuum. Hos inter eminent *JORNANDES* *(b)*, *LUITPRANDUS* *(c)*, *Herwaræ Historia* *(d)* *HERBERSTEINIUS* *(e)*, *Paulus ODERBORNIUS* *(f)*, *DON MAURO ORBINI* *(g)*, *Jacobus REUTENFELS* *(h)*, *Olavus RUDBECKIUS* *(i)*, *STRAHLENBERG* *(k)* *SCARIN* *(l)* *BJOERNER* *(m)* *aliique* *(n)*; quos omnes producere prolixum magis, quam utile foret opus.

(a) Vid.

(a) Vid. *Joh. MAGNI Hist. p. m.* 28; Cui addatur *Cel. BJÖRNERI Introductio in Antiquitates Hyperboreo-Gothicas p. m.* 35, & alibi. (b) *In Libro de Rebus Geticis Cap. I. & IV*, cui consentit *SHERINGAM de Origine Anglorum p. m.* 148. & 155. (c) *Libr. V. Cap.* 6, in quo Russos *Nordmannis* seu *Svecis* adnumerat. (d) *Cap. XVIII. p. m.* 167, ubi perhibet auctor hujus Historiæ, Hunnos ad Tanaim ea tempestate habitantes, a Gothis Septentrionalibus seu Holmgardis, Gothorum nostrorum nepotibus, haud ita magno terrarum intervallo absuisse. (e) *Libr. cit. p. m.* 2, ubi Rutheni ipsi profitentur, se antiquissimis retro temporibus Waregorum imperio paruisse. (f) *In vita Joh. Basilidis p. m.* 244. (g) *Il Regno degli Slavi p. m.* 7. La prima partenza degli *Slavi* d' ella Scandinavia fu, comme scrive *Alberto Kranzio al* 2. *Cap. della Svethia*, sotto *Ottoniele* Giudice degli Hebrei innanzi i tempi de Re: Percioche costui era immediatamente succeduto a *Giosue* Successore di *Moise*, l' anno del Mondo 3790, & prima della venuta di Christo 1460 anni, nel qual tempo uscirono della Scandinavia i Gothi & sotto loro ancora gli *SLAVI*. Haud indigna sunt vagina hac gentium Illustris Viri verba, an vero singulæ circumstantiæ Chronologicæ rite sese habeant, dispiciant alii. Nos hinc clare discimus, veteres in illa fuisse opinione, quod Holmgardi natales suos ex Svethia repetierint. (h) *In libro de Rebus Moschoviticis Cap. II. Libr. I.* (i) *In Atlantica Tom. I. p. m.* 439. *&c. Tom. III. p. m.* 184, 187, 640. ubi multis ostendit, Principes Svethiæ Holmgardorum imperio diu præfuisse. Vim argumenti ex origine Principum Holmgardicorum desumti ad nostram stabiliendam opinionem paucis accipe: Principes ex Svethia orti, soli nunquam, sed numerosis stipati cohortibus ad has oras sunt profecti. Hæ autem legiones Ducem suum non deseruerunt, sed in eadem, qua ipse, regione

penates

penates suos constituerunt, ibique genus suum propagarunt. (*k*) *In Libr. cit. p. m.* 24. ubi inter antiquissimos Russiæ incolas recenset Scythas, Sarmatas, *Waregos* &c. (*l*) *In egregia dissert. de Varegorum Originibus p.* 8. 20. *alibique.* (*m*) *In Introd. nuper cit. p. m.* 151 ex *LUCIANO*, sec. II Scriptore, ostendit lingvam, haud ambiguam gentis indicem, per Orientales has Europæ oras quondam fuisse Gothicam. Adde *Ejusdem Schediasma de Varegis passim.* (*n*) Confr. *Das veränderte Rusſland p. m.* 340.

§. XXIV.

Quemadmodum præcipua virtus in armis olim ponebatur; ita honestius nihil aut laudabilius Martia illa existimabant secula, quam bello alios fortiter aggredi, ipsorum subito populari terras, atque veteres expellere incolas. Hinc ingentes illæ & plane horrendæ florentissimorum imperiorum mutationes ac eversiones, quarum mentionem sæpius faciunt vetusti annales, in quibus ne nomina quidem regnorum & provinciarum integra semper atque immutata manserunt. Haud opus est, ut tristia hujus rei exempla e longinquo petamus. Fidem nobis facit vel sola Holmgardia, quæ ut impetus variarum gentium reprimere ac eludere non potuit, ita nec limites ejusdem stabiles admodum fuerunt, sed nova vel incrementa vel decrementa quotannis fere subierunt. Non nostro solum ævo, verum priscis etiam seculis tantæ interdum fuit amplitudinis, ut Estoniam, Careliam, magnam Finlandiæ & Lithuaniæ partem, Mœsiam, Chersonesum Tauricam, atque alias continuerit provincias (*a*); quandoque autem multis ademtis intra brevem adeo coarctata fuit gyrum, ut regiones tantum *Mari* albo adjacentes suo ambitu comprehendisse videatur (*b*). Ut itaque omnis, quæ ex diversitate temporum oriri possit, ambiguitas tollatur, statim monemus, quod in limitibus Holmgardiæ jam jam definiendis, imperium *Rureci* & hujus proximæ posteritatis respiciamus. Holmgardiæ igitur regnum a Fano S. Archangeli trans lacus *Saimen* (*c*), *Ladogam* (*d*), *Onegam*, *Peipum* atque *Ilmerum* sese extendisse, ac proinde partem illam Ostrobotniæ, quæ *Cajania* (*e*) hodie nuncupatur, tum *Savolaxiam*, *Careliam*, *Kexholmiam*, *Ingriam* (*f*), *Estoniam* & *Curlandiam*, nec non Ducatus *Novogardensem*, *Plesc̄hoviensem* atque *Kioviensem* complexum fuisse, partim ex situ ac indole harum terrarum (*g*), partim etiam ex testimoniis magni nominis Scriptorum (*h*) colligimus. Quamvis autem hæc fere fuerint regni Holmgardici pomœria, illis tamen constitutis negatum nolumus, ea interdum, in Orientem præcipue, amplius patuisse. Præter has enim regiones Regib⁹ quibusdam Gardariciæ paruit *Wulgaria*, quam *JARISLAVUS* affini suo *OLAVO CRASSO*, Norwagiæ Principi, regendam concessit, dum factione civium paterno regno pulsus in Holmgardia delitescere cogebatur (*i*). Hæc autem terra, ut opinor, fuit regnum *Bulgariæ* ad flumen Wolgam situm; frequens quippe est tam apud alias gentes, quam inprimis inter Moschovitas commutatio litterarum *B* & *W* (*k*).

(*a*) Vid.

(*a*) Vid. *REUTERFELSI Libr. cit. p. m.* 257. (*b*) *Petrus CLAUDI Filius in descriptione Norwagiæ*, Holmgardiam veteris Careliæ partem tantum fuisse, Finlandiæque olim paruisse adserit, quam vero sententiam defendendam suo relinquimus Auctori. (*c*) Θυσσαγέτας (nostris *Thussar* dictos) ἔθνος πολλὸν καὶ ἴδιον, ζῶντας ἀπὸ θήρης *Herod. p. m.* 144, in littoribus *Saimen* nec non reliquarum Careliæ & Savolaxiæ paludum olim habitasse autumat *RUDBECKIUS in Atl. Tom. I. p. m.* 430. (*d*) Hic lacus Russis hodie dicitur *Ladesko-Ozero*, estque lacuum Russiæ facile amplissimus. Circa hunc sedes suas Herodoti ævo habuisse Μελαγχλαίνους, ἄλλο ἔθνος καὶ οὐ Σκυθικὸν opinatur *Rudbeck in Atl. T. I. p.* 427. (*e*) *KUENLANDIAM* seu *Terram feminarum* atque *Patriam Amazonum* ex Asia in Europam immigrantium in regionibus ad plagam Septentrionalem sitis esse quærendam, haud immerito contendunt periti antiquitatum æstimatores. Colligi hoc potest cum ex *Paulo DIACONO in Historia de Rebus gestis Longobardorum Libr. I. Cap.* 15, ubi adfirmat, se ex quibusdam borealibus audivisse, *Amazonas*, gentem feminarum, usque hodie (vixit autem circa initium seculi IX) in intimis Germaniæ seu Svethiæ finibus existere; tum etiam ex *ADAMO BREMENSI*, Seculi XI Scriptore, *in Histor. Eccles. Regnorum Septentrionalium Libr. III. p. m.* 37. atque *libro de situ Daniæ &c. p. m.* 59. Hinc in vetustis monumentis occurrit non solum *Kuenland*, sed & *KUENA-HJERAD* seu *territorium feminarum* ita nuncupatum, quod a nullis habitatum præter viduas & virgines, confr. *Sagan om Kong ALF och hans hjeltar Cap. IV. p. m.* 5. Inter Septentrionis porro provincias vix ulla est, cui *Kuenlandiæ* nomen & situs magis conveniunt, quam hodiernæ *Cajaniæ*. Agnovit hoc pridem *MESSENIUS in Scond. Illustr. Tom. XIII. p. m.* 16; ipsique adstipulantur multi Historici. Sententiam hanc egregie confirmat etymologia vocis

cis *Cajaniæ*, ortæ a Fennico vocabulo *Cainu*, quod *verecundum & pudicum* significat. Hinc Ostrobotnia *Cainunma Terra pudicorum*, & incolæ hujus provinciæ *Cainulaiset pudici* a nonnullis Fenniæ populis etiamnum vocantur, Vid. *P. N. MATHESII Dissertationem de Ostrobotnia Upsaliæ* 1734 *habitam p. m.* 4. Deinceps nomen istud ab heroicis his viraginibus, hastas, tela & equos magis, quam molles adolescentum amplexus curantibus ad sequentes colonos transmissum videtur. Extendebatur autem vetus *Kuenlandia* a Mari albo & ostiis Dvinæ fluminis, olim *Quena-flod* dictæ vid. *Rudb. Atlantica T. I. p. m.* 800, usque ad Curlandiam. Hinc quoque *KUENI* & Curlandi in *Historiola de Norna-Gestro p. m.* 16. pro vicinis habentur. (*f*) Hujus regionis incolæ sunt illi, quos *PTOLOMÆUS* ἸΓΓΥΛΛΙΟΝΑΣ; *TACITUS Ingewones*, atque *PLINIUS clarioris famæ gentem Ingevonum* adpellat. Circa nomen *Ingriæ* breviter monemus, illud Gothicum esse, cum *Ingvemanniæ* vel *Ynglingalandiæ* vocabulo, terram uberem ac excultam denotante, coincidens. (*g*) Marchionum Svethicorum potestas, cum non admodum magna fuerit, provinciis ita sitis a suis præficiebantur supremis Regibus, ut pauci in illis invadentium hostium impetum vel eludere vel saltem aliquamdiu retardare possent. Per totum autem orientem terras commodius positas fiduciariis suis Principibus adsignare non potuerunt Reges Upsalienses, quam Holmgardiam, utpote lacuum memoratorum insulas comprehendentem, adeoque furori Barbarorum fere imperviam. Hanc proinde respexisse videtur *Nob. OERNHJELMIUS*, cum in *Vita Ponti DE LAGARDIE p. m.* 30. de regno Svecorum loquitur, quod, tanquam murum, habitandi sors objecerit immanitati & crudelitati Ruthenorum. Confr. *Ejusdem Histor. Sveo-Goth. Ecclesiast. Libr. IV. p. m.* 584. (*h*) Descriptioni huic album addit calculum *Petrus DÜKMAN in suis ad Historiam Ecclesiasticam Annotationibus*

nibus p. m. 15. *Holmgart*, *Holmgart* är en Landsträckt bakom Estland och Ingermanland, up emot Ladoga-Sjön och Peipus, derest staden *Aldejoborg*, de Holmgardiske Konungars fordna residence warit; och det derunder hörande Land *Holmgarda-Land* kallat, dit som *HALFDAN* den Gamla reste, at *eiga ALFRIO Dottur EIVINDA Kongs or Holmgardi*, det är, at äckta Alfrio Kong Eivindas Dotter från Holmgård. Huic pollicem premit *Nob. STRAHLENBERG in libr. cit. p. m.* 95. Die Estländer bemärcken unter *ULIMA* dasjenige Land, was ihnen in Osten lieget als *Pleskau*, *Petzur* und *Novogorod.* Et paucis interjectis: So ist das rechte *Ulimarugia* (oder kurtz gesprochen) *Ulmerugien* zwischen den Ladoga und Peibus-See, und nicht in Preussen gewesen, wie *Joh. MAGNUS* und andere mit ihm vermeinen. Ab his Duumviris non multum recedunt *ADAMUS BREM. in Libr. de Situ Dan. p. m.* 59. *Rodericus TOLETANUS de Rebus Hispanicis I:* 12 atque *BJÖRNER de Varegis p. m.* 131; Hic quippe refert Holmgardiam versus occidentem lacubus, Ladogensi & Onegensi, ab oriente fluvio Vaga, qui se in Dvinam exonerat, ortumque trahit haud procul a Bjalo-Ozero & palude vel fluvio Badogensi, fuisse terminatam. Eleganter denique describitur Holmgardiæ amplitudo in *Schwedische Deduction*, quam nobis conservavit *Auctor libri Das veränderte Russland p. m.* 341. Die Schwedische Fürsten haben damalen an ihren dieser Seite der Ost-See aufgerichteten Sitz noch beständig inne gehabt, und solches regiment in der alten Landes-Sprache unter dem Nahmen *Hollugorda-Ryke* eine lange zeit bekant gewesen, auch sich über Estland, Ingermanland und Carelen und noch weiter in Russland hinein ausgebreitet, dass also diese Länder damahlen nur Schweden alleine unterworffen gewesen. (*i*) Vid. *STURLONIDIS Tom. I. p. m.* 745. Vel, si vacet, *Chronicon Norwagicum a Jon. RUGMAN editum p. m.* 122. (*k*) Confr. *Præfationem HERBERSTEINII ad libr. cit.*

§. XXV.

§. XXV.

Limitibus Holmgardiæ sic definitis, ad urbes ejusdem nos conferimus, quas certe non minus validas atque inclytas in hoc, quam in quocunque alio Septentrionis regno reperimus. Inter has autem civitates & vetustatis laude & rerum memorabilium celebritate primum sibi facile locum vindicat *ALDEJOBURGUM*, quod diversis olim insignitum fuit nominibus. Antiquissima adpellatio videtur *Ladoga* (*a*), postmodum *Aldeigu* (*b*), & denique *Aldejoburgum* in nostris dicitur annalibus. Ab exteris Scriptoribus modo *Aldescum* (*c*), modo *Altenburgum* (*d*) & veteri Lingva Slavonica *Stargard* non raro nominatur. Situm erat hoc oppidum juxta lacum Ladogam, & quidem haud procul ab illo loco, ceu perquam verosimile est, ubi in fluvium Nevam tumidas undas exonerat modo memoratus lacus (*e*). Quo primum tempore, aut cujus Principis auspiciis sit exstructum, in maxima illa, qua circa res, quæ primis post N. C. seculis in Holmgardia contigerunt, hodie laboramus documentorum inopia, certi quid determinare non audemus. Forte vel ab *OTHINO II* vel etiam hujus filio *Sigurlamo* prima civitatis nostræ fundamenta sunt jacta. Quicquid sit, certissime compertum habemus, quod a Waregis duce *Rureco* ad has terras adpellentibus non fuerit fundata; siquidem ante illud tempus admodum floruit. *STURLOGI* enim ævo, qui circa medium seculi II vixit (*f*), sedem imperii in hac urbe sibi constituerant

fuerant Reges Holmgardici (*g*). Proxime etiam ante *Hwitsærkeri* ætatem, *OSTENUS Sigurdi Ringi* filius, Norwagiæ Rex, mortua conjuge, quam impense dilexerat, dolorem, quem domi minuere non poterat, inter armorum strepitus in longinquis terris levaturus, *Miklagardiam* proficiscitur; indeque reversus *Aldejoburgum* navibus suis noctu divertit, quod confestim arctissima cingit obsidione, civibusque alto adhuc sopore oppressis, muros conscendit, partem illorum demolitur, atque post ancipitem pugnam urbem hanc in suam redigit potestatem (*h*). Ut *Rurecus* in Gardariciam accessit, cum alibi, tum inprimis *Aldejoburgi* commorari solebat (*i*). Nurus autem ejus *ALOGIA*, quæ diu imperii Holmgardici gubernacula tractavit, urbem hanc operibus & splendidis ædificiis auxit, auctamque ex suo nomine *Alogia-borg* vel *Aldejoburgum*, ceu nonnulli opinantur Scriptores (*k*), cognominandam curavit. Hoc porro oppidum Principibus Scandinavicis, cum vel propter internos motus atque civiles discordias, vel alias quascunque caussas, haud facile detegendas, avita regna relinquere cogebantur, gratissimum atque tutissimum præbuit azylum. *SIGURDUS KARLSHUFWUD, Erici Bjodaskalles filius*, Norwagiæ Princeps, *Aldejoburgi* splendide habitus, atque tantæ apud Regem Holmgardiæ *WALDEMARUM I* dignationis fuit, ut non solum ingentibus feudis donaretur, sed etiam dirimendis litibus ad Regem devolutis præficeretur, quæsturaque redituum ex universis regni

provinciis ejus fidei committeretur. Paucis: auctoritate & imperio proximus a Rege erat (*l*). Quid igitur mirum, si hujus Sororis *ASTRIDIS* filius, *OLAVUS TRYGGONIDES*, qui post varios casus in Estonia ab avunculo suo fuerat inventus, in aula Holmgardica pro generis sui ratione perquam liberaliter sit educatus? Dignus omnino erat tantis beneficiis eximius hic Norwagiæ Princeps; sed valde iniqua fuerunt fata, quæ illius caussa sustinuit *Aldejoburgum*. Paulo enim post *ERICUS Haquini* filius, Norwagiæ Jarlus, idemque acerrimus *Olavi* hostis, qui satis intelligebat, se sceptrum Norwagicum, quod nefariis occupaverat artibus, tranquille non fore possessurum, nisi legitimum hunc imperii heredem ac strenuum æmulum e medio sustulisset, per quinque admodum annos Holmgardiam vastavit, nec prius furere destitit, quam *Aldejoburgum*, post gravissimam obsidionem expugnatum, funditus delevisset (*m*). Verum haud ita multo post ex tristi ruina & fumantibus adhuc favillis suscitata fuit hæc civitas, atque pristino nitori reddita. Etenim una cum adjacente provincia concedebatur *INGIERDI, Olavi Skottkonungii* filiæ; Principe hac a Sponso *JARISLAVO* dotem istam sibi præstolante (*n*). Aldejoburgi etiam securitatem & multa insuper beneficia consecutus est *OLAVUS CRASSUS*, cum inimici mari & terra illum infectabantur (*o*). In hac denique urbe apud Avum Maternum, *RAGNVALDUM Ulfsonium*, Jarlum Aldejoburgensem, optimam educationem nactus est *INGE*,

Stenkilli filius, Svethiæ Princeps (*p*). Sequenti autem tempore, cum Sveci, mutuis defatigati odiis, consvetis antea in orientales has terras excursionibus vacare non possent, Aldejoburgi nomen in monumentis nostris sensim sensimque obsolevit. Novimus tamen, quod cum Tattari circa initium seculi XIII Holmgardiam catervatim invaderent, atque cædibus & rapinis omnia fœdarent loca, Aldejoburgum vehementer fuerit concussum; ex qua tamen calamitate adhuc emersit. Postquam autem bellum inter Svethiæ Regem, *MAGNUM*, *Erici* filium, vulgo *Smek* cognominatum, atque Principem Novogardensem, *GEORGIUM DANIELOWITZIUM*, circa An. 1348 esset conflatum, & Sveci in illo non satis prudenter & alacriter res suas agerent, sed per *Wodkayen*, partem Ingriæ, quæ *Wodskipetin* postmodum adpellata fuit, dispalarentur, a Ruthenorum Principe tanto successu lacessebantur, ut quingenti illorum uno impetu fuerint trucidati, atque *Aldejoburgum*, quod Svecorum receperat præsidia, solo æquatum; ex quo cinere nobile hoc oppidum deinde caput suum nunquam extulit (*q*).

(*a*) Vid. *STRAHLENBERGI Libr. cit. p. m.* 95 & 191. item *REUTENFELSII Libr. cit. p. m.* 16. (*b*) Confr. *HALFDANI Ostenidis Historiam Cap II. & IV.* (*c*) Vid. *DIONYSII PERIEGETÆ Descript. Orbis v.* 314 &c. " Illic quoque *ALDESCI* & Panticapæ aquæ Riphæis in montibus separatim murmurant. Horum item juxta gurgites Glaciale prope mare jucundo nitore lucens electrum nascitur. (*d*) Confr. *HELMOLDI Chronicon Slavorum p. m.* 33. Hoc autem oppidum non est confundendum cum alio *Alteburgo* seu *Palaeopyrgo* in Misnia. (*e*) Vid. *Joh. HELSINGII dissert. de Originibus prisca gentis Varegorum p. m.* 66. (*f*) Vid. *BJÖRNERI Descriptionem Gothunheimiæ p. m.* 77, aliosque Antiquarios. (*g*) Vid. *cit. Sturlogi Histor. p. m.* 66. (*h*) Confr. *Halfdani Ostenidis Histor. Cap. cit.* (*i*) Vid. *DURET dans son Tresor des langues de cet Univers p. m.* 864. (*k*) Vid. *DÜKMANNI Annot ad Histor. Eccl. p. m.* 135. Magis tamen verisimilem putamus illorum sententiam, qui existimant urbem hanc ab adjacente lacu *Ladoga* nomen accepisse. Est enim, nisi admodum fallimur, Ladoga ille Lacus, qui in *Edda* inter maria relatus, *ALDA* dicitur; quo posito, *Aldejoburgum* denotat oppidum lacui *Aldæ* vel *Ladogæ* vicinum. Vid. *RUDBECKII Atl. Tom. I. p m.* 660. (*l*) Vid. *ODDE MUNCKS Histor. p. m.* 16 & 17. (*m*) Vid. *STURL. T. I. p. m.* 318. (*n*) Confr. *STURL. T. I. p. m.* 516. (*o*) Vid. *STURL. T. I. p. m.* 733. (*p*) Vid. *Nob. DALINI Historiæ Svecanæ Tom. II. p. m.* 23. (*q*) Vid. *Nob. DALINI Tom. cit. p. m.* 491.

§. XXVI.

IN rerum perquam diversarum consideratione occupatos Aldejoburgi palatia diu tenuerunt; ut alio iter nostrum nunc dirigamus, peregrinationis susceptæ ratio postulat. *HOLMGARDIAM* proinde, hodierna dialecto *CHOLMOGOROD* dictam, urbem post Aldejoburgum in antiquis monumentis maxime insignem, nos convertimus. Hæc ad littora Maris albi, ubi flumen Dvina in subjectum mare sese præcipitat, & quidem non longe a Fano S. Archangeli sita est, cum quo a nonnullis, licet perperam, confunditur. Spissam caliginem, quæ originem hujus civitatis involvit, nec alii dissipare tenta-

tentarunt, nec ipsi, quantam demum cunque impendimus curam, dispellere potuimus. In vetustissimis nostris annalibus non tenuem & angustam, ut pleræque aliæ urbes, sed celebrem & amplam sese ubique conspiciendam præbet; certissimo indicio, illam præcipua Holmgardiæ oppida ætate, si non superet, faltem æquiparare. *Holmgardiam* metropolin suam constituerunt Holmgardici Reges (*a*), inprimis postquam habitationem *Aldejoburgi* minus commodam & tutam reddiderant Principes, per orientis maria piraticam quotannis exercentes. Illustribus porro Viris, instabilis fortunæ tempestatibus jactatis, gratissimum præbuit hospitium *Holmgardia*; a quibus etiam splendorem & famam est mutuata. In hac enim educatus fuit *Olavi Crassi* filius, MAGNUS BONUS adpellatus, interea dum Pater regnum Norwagiæ in suam redigere potestatem conabatur. Immo, cum Norwagi, ad meliorem reducti frugem, occasionem tandem arripuissent, jugum servitutis, quod SVENO, Daniæ Regis *Hordacanuti* frater, injusto modo ipsis imposuerat, excutiendi, Norwagici Duces, EINARUS TAMBASCELFURUS atque KALFURUS *Arnonis* filius, Holmgardiam sunt profecti, ut principem hunc domum revocarent (*b*); qui etiam horum sollicitationibus motus, atque Gardaricianis stipatus copiis, *Holmgardiam* relinquens, paternum recuperavit imperium. (*c*). Post hujus discessum in memorata urbe benigne adeo fuit exceptus HARALDUS HÅRDRÅDE, minimus natu filiorum SIGURDI STR, ut Marchio

Marchio Holmgardicus constitueretur (*d*). Quæ porro, sive læta, sive sinistra fata diversis temporibus subierit hoc oppidum in alto Historicorum silentio rite exponere, arduum nimis foret opus. Attamen cum bellicosissimi Principes *Bjarmiam* (*e*) ceterasque Holmgardiæ adjacentes regiones classibus sæpius petierint, de mitiori aut tranquilliori sorte sibi vix gratulari potuit, quam *Aldejoburgum*. Nec dubitamus, quin in horrenda rerum omnium per Holmgardiam conversione, Tattaris irrumpentibus facta, urbs hæc, gelidis licet Trionibus subjecta, communem senserit calamitatem; ceteris autem civitatibus in suo pulvere jacentibus, præfractas nostra haud ita multo post extulit cristas, subita incrementa promoventibus commerciis. Notandum scilicet est, quod ob commodum situm atque mercium, inprimis pellium pretiosarum abundantiam densæ exterorum classes portum *Holmgardiæ* quotannis intrare sveverint (*f*); his autem alio se convertentibus, decrementa hujus oppidi haud lento pede sunt insecuta (*g*). Ab hac porro urbe nomen accepisse videtur tota circumjacens provincia; quam enim nonnulli Geographi *Dvinensem*, licet minus recte, adpellitant, Rutheni *Cholmogorodensem* seu *Holmgardensem* regionem nuncupant (*h*). Recentem denique urbis Holmgardiæ statum exponere ad nos, antiqua tantum nunc curantes, non attinet.

(*a*) Vid. *Historiam Vilkinensium p. m.* 114. (*b*) Confr. STURL. *Tom. I. p. m.* 829. (*c*) Vid. STURL. *Tom. II. in Vita*

Vita Magni Boni passim. (*d*) Vid. *STURLON. T. II. p. m.* 74. (*e*) *Bjarmiam* seu *Bjarmanland-am* in his oris fuisse, multis argumentis dudum ostenderunt alii. Nomen hoc descendit a Gothicis vocabulis *Bjarg* monte, *Ma* seu *Mer* palude & *Land* terra, adeoque *Bjarmanlandia* denotat regionem excelsis montibus & aquarum collectionibus frequentem; quæ derivatio adprime convenit cum descriptione *Bjarmiæ* ab *OLAVO MAGNO* tradita. (*f*) Confr. *CLEMENTIS ADAMI Libr. de Anglorum Navigatione ad Moschovitas p. m.* 151, & *REUTENFELSI Libr. cit. p. m.* 274, Cholmogorod, inquit, non agrorum cultu, sed piscium abundantia & mercatorum commeantium frequentia censetur (*g*). Indolem urbis hujus, qualis scilicet circa initium superioris seculi fuit, sic describit *Petr. PETREJUS in Chronici Moschovitici Libr. I. p. m.* 51: Cholmogorod är en temmelig stor Stad och Slott, doch intet synnerligen fast; det är mäst förfallit &c. (*h*) Vid. *STRAHLENBERGI Libr. cit. p. m.* 192, cui addatur *Paul. JOVIUS Libr. cit. p. m.* 151.

§. XXVII.

Sive ætatem sive opulentiam spectemus, modo memoratis civitatibus parum cedit *KIOVIA*, quam a Principe quodam Ruthenorum *KIEW* dicto circa An. C. 492 (*a*), vel, ut aliis placet, An. 800 (*b*) exstructam atque cognominatam fuisse quidam arbitrantur. Enimvero longe adeo ante hæc tempora exstitit, ut OTHINI II. etiam ævo floruisse videatur (*c*). Hanc a memorato Principe instauratam sequentes Holmgardici Reges sua præsentia & commoratione illustrarunt; & postquam ipsi provincias inter filios suos distribuere cœperant, major natu plerum-

plerumque *Kioviam* obtinuit. Principes hujus civitatis a *Varegis* orti atque Regibus Upsaliensibus fiduciario jure subjecti perhibentur: quibus vero per Europam arma sua circumferentibus, illi oblatam sibi occasionem arripuerunt, Svecorum imperio sese subducendi. Quamobrem etiam *Rurecus*, ut in Holmgardia res constituerat, *Kioviam* advolat, atque urbem ferocem & opibus elatam ad officium redire armis compellit. Dicitur autem hæc urbs modo *CHIVE* (*d*), modo iterum *CHUE* (*e*) seu *Chuotse*; quæ posteriora nomina Ostiakorum lingva denotant *celebrem* quandam *sedem* (*f*). Urbem hanc magnificam & plane regiam olim fuisse, ipsæ civitatis ruinæ & monumenta, quæ in ruderibus cernuntur, luculenter declarant. Profecto vel solas Cryptas Kiovienses, Dædalicum illud opus, non satis admirari possunt, qui hanc adeunt urbem. In his notari præcipue meretur mons cavernis ingentibus, ab arte ne, an vero a natura elaboratis dubium, inclytus, in quo *S. Helenæ* seu *Alogiæ*, B. *Joannis Monachi*, aliorumque virorum illustrium cadavera integra, & quasi adhuc spirantia videntur (*g*).

(*a*) Vid. *STRAHLENBERGI Libr. cit. p. m.* 172. (*b*) Vid. *GOMERUM* citatum *REUTENFELSIO Libr. nomin. p. m.* 17. (*c*) Ætas hujus urbis quodammodo colligi potest ex templo S. *Basilii*, in quo cernuntur inscriptiones quædam Græcæ, ante 1500 annos marmori insculptæ, sed nunc vetustate tantum non plane abrasæ. (*d*) Vid. *ADAMI BREM. Histor. Eccl. Libr. II. Cap. XIII. p. m.* 19: Ruszlæ metropolis

polis eſt civitas *CHIVE*, æmula ſceptri Conſtantinopolitani; ampliſſimum decus Græciæ i. e. Holmgardiæ. (*e*) Confr. *Incerti Auctoris Chron. Schlav. Cap. II*,, Chunigardiæ metropolis eſt *CHUE* i. e. *Coge*, neſcitur a quibus Doctoribus ſit converſa. (*f*) Hinc locus, in quo Usbekenſis Princeps caſtra metiri & aliquamdiu commorari ſolet, *Chive* adpellatur, confr. *Das veränderte Rußland p. m.* 16. (*g*) De his copioſe diſſerit *Joh. HERBINIUS in libro de Religioſis Cryptis Kiovienſibus.*

§. XXVIII.

INjuriis temporum ac crebris barbarorum inſultibus ita reſtitit *NOVOGARDIA*, celebris Holmgardiæ civitas, ut inter crepitantes undique calamitates ſplendorem & potentiam auxerit potius, quam amiſerit. Ætatem & originem ejus ſi quis quærat, ſtatim fatemur, eandem, licet incognitam, *Rureci* tamen tempora aliquot ſeculis antecedere. Annales enim ſeculi VI loquuntur de *NOVA URBE* quadam, intra Holmgardiæ pomœria ſita (*a*); qua proinde *Novogardiam*, niſi fallimur, indigitant. Nomen civitatis plane eſt Gothicum (*NYGÅRD*), quamvis ex genio lingvæ Ruthenicæ paulisper fuerit mutatum. Nec mirum, hunc eſſe nominis ortum; ipſi enim profitentur Moſchovitæ, primos urbis hujus incolas ex Varegia veniſſe (*b*). Præterea notandum eſt, quod *Novogardia* primariorum Holmgardiæ Ducum regia diutiſſime fuerit, maximamque inter ceteras urbes habuerit dignitatem propter incredibilem ædificiorum numerum, latiſſimi & piſcibus abundantis lacus Ilmen opportunitatem

tatem, & denique ob vetuſtiſſimi templi celebritatem, quod a Regina *SOPHIA*, æmulatione imperatorum Byzantinorum exſtructum, atque Chriſto Salvatori dicatum fuit (*c*). Quid? Quod cives ejus tantæ olim fuerint potentiæ & auctoritatis, ut ad ipſorum decreta reliquæ fere omnes Holmgardiæ civitates ſeſe componerent, Principesque, qui toti præeſſent imperio, ex arbitrio ſuo ſæpe conſtituerent; arroganter proinde prædicantes: Quis contra DEum & Magnam Novogardiam. Inter Hanſeaticas civitates haud ultimum noſtra obtinuit locum. Ad hoc enim emporium plurimæ gentes tam ex Germania, quam ex Svethia per aliquot ſecula usque ad An. 1477 confluere ſveverunt (*d*); poſt quod vero tempus Sveci tantum & Lubecenſes liberam in illa mercandi facultatem retinuerunt (*e*). Ex hac denique urbe multi illuſtres Viri prodierunt, quorum eximiis meritis ſicut ſalutem & florem debent Holmgardi, ita debito honore a nobis poſtmodum erunt nominandi.

(*a*) *JORNANDES libr. cit. p. m* 613 & 635. (*b*) Vid. *HEIDENSTENI libr. cit. p. m.* 332. (*c*) Confr. *Paul. JOVII libr. cit. p. m.* 125. (*d*) Vid. *Memoires ſur le commerce des Hollandois An.* 1718. (*e*) Vid. *REUTENFELSI libr. cit. p. m.* 261.

§. XXIX.

PRæter ampliſſimas illas Holmgardiæ civitates, quarum fata in antecedentibus paragraphis breviter expoſuimus, ſuperſunt adhuc aliæ non minus antiquæ, ſed quarum memoria nunc ita eſt obſoleta, ut nihil fere illarum ad noſtra tempora transmiſerit fortunæ varietas, præter ſola nomina,

eademque

eademque valde mutata. Inter has, ſi ætatem ſpectemus, eminet *ROTULA*, quæ, modo annalium noſtrorum fides in hoc puncto ſibi conſtat, diu ante N. C. ita floruit, ut Reges illius cum Sveonibus bella ſubinde geſſerint (*a*). Situm fuiſſe hoc oppidum in auſtralibus Holmgardiæ provinciis tanto minus eſt dubitandum, quod in Livonia ſit terrarum quidam tractus, *Rotalia* quondam adpellatus, qui urbem quoque cognominem habuit (*b*). Immo computatis circumſtantiis hæc *Rotula* eadem eſſe videtur cum illa *Rotala*, quam una cum *Peltiſca*, *Audunoque*, ductu & auſpicio Regis *FROTHONIS*, diripuerunt Dani (*c*), & Tattari tandem ſolo æquarunt. Fuit etiam *KIÆNUGARDIA* oppidum Holmgardiæ haud ignobile; ſuis quippe olim ſplendidum regulis (*d*). Quoniam *Kjænugardiæ* nomen a *Kuengardiæ* parum differt, faciles credimus, hac adpellatione veterem urbem *Cajaniam* indigitari (*e*). An ad hanc quoque civitatem pertinuerit firmiſſimum illud Caſtellum, quod in Svethia Frigida haud procul a Mari Kyrialandiæ ſitum fuiſſe annales noſtri perhibent (*f*), & quidem in loco, ubi flumen inſignis amplitudinis & rapiditatis in mare tumidas undas evomit, definire non audemus. Conveniunt quidem inter ſe propugnaculi hujus & *Cajaniæ*, ad impetuoſiſſimum flumen *Koiwukoſki* poſitæ, ſitus; ſed idem in multas quoque alias ſeptentrionis urbes pari jure quadrat. Edocemur præterea, plura olim aggeribus & muris cincta oppida prope caſtellum modo dictum fuiſſe (*g*); quorum tamen nec nomina, nedum fata expiſcari potuimus.

In

In orientali autem Holmgardiæ parte reperimus *ALFSBURGUM*, oppidum egregie munitum, quod ſuis olim gaviſum fuit Principibus. Expugnatio *Aldejoburgi* ab *OSTENO Sigurdi* filio facta, *Alfsburgum* una involvit calamitate (*h*). Ab hoc autem diverſa videtur Gardariciæ civitas, *ALFHEM* dicta, quæ a Tattaris Holmgardiam populantibus, funditus fuit everſa. Mentionem denique faciunt Hiſtoriæ antiquæ propugnaculorum a Regibus Svethiæ in Holmgardia pridem exſtructorum. Inprimis celebrantur munimenta, quæ ex ceſpite & ſaxis conficienda curavit *ERICUS Emundi* Filius, vulgo *Wäderhatt* dictus (*i*); ad quæ tamen nec *Aldejoburgum*, nec cetera modo memorata Holmgardiæ oppida eſſe referenda, firmiter contendimus, cum hæc longe majorem ſapiant ætatem, quam quæ temporibus Laudati Regis conveniat. In parœcia *Sordawalla*, uti accepi, ad lacum Ladogam conſpicitur quidem adhuc exiguum munimentum, ſed temporis injuria fere collapſum, atque inter parœcias *Sordawallam* & *Jakimwaram* in excelſo monte pagi *Otzois* majus quoddam propugnaculum reperitur. Utrumque autem horum recentius opus eſſe videtur, ſaltem iſtud non attingit ævum, quo vixit modo memoratus Svethiæ Princeps. Aggeres proinde *Emundſſonii* ita dudum corruiſſe exiſtimamus, ut ne vola quidem aut veſtigium illorum amplius ſuperſit. Sed moleſto itinere feſſi vela tractationis pauliſper contrahimus; brevi tamen, ſecundis utinam ventis, iterum explicanda.

(*a*) Vid. *Deſcriptionem regni Moſchovitici Noribergæ An.* 1687

1687 *editam.* (*b*) Vid. *Thomæ HJÆRNE Descriptionem Livoniæ MS. cit. a Nob. STRAHLENBERG in libr. nomin. p. m.* 192. (*c*) Vid. *MESSENII Scond. Ill. Tom. I. p. m.* 30. Nominanda denique, vel potius ideo non reticenda est *ROTALA*, quod Sveci tempore *JOHANNIS*, *Swerckeri* filii, prope hanc ab Holmgardis victi fuerint, Vid. *DALINI Histor. cit. Tom. II. p. m.* 181. (*d*) Vid. *GOTHRICI & ROLFI Histor. Cap. IV. p. m.* 26; atque *Cel. VERELIUM in Notis ad eandem Histor. p. m.* 31. (*e*) Cel. *BJÖRNER de Varegis p. m.* 118 *Kianugardiam* eandem plane esse cum hodierna *Kymenegardia* autumat; a quo tamen modeste dissentimus, præsertim cum aliud svadeant & borealis oppidi situs & convenientia nominum *Kianugardiæ* & *Kuengardiæ.* (*f*) Vid. *Halfdani Ostenidis Histor. p. m.* 32 & 36. (*g*) Vid. *cit. Halfdani Histor. p. m.* 56. (*h*) Vid. *Halfdani cit. Hist. p. m.* 13. (*i*) Confr. *STURL. T. I. p. m.* 484.

FRATER DILECTISSIME.

Cum, Frater dilectissime, litteris IV. Nonarum Aprilis, ad me, Fratrem Tuum natu minorem & unicum, Borgoæ jam studiorum caussa diversantem, datis, inter alia familiariter & amice scripta, significasti, Te, quem desiderium sciendi sacris licet initiatum, denuo Aboam duxisse novimus, jam in eo esse, ut tela in arcem Præclarissimi Præsidis Tui immissa retundendo, specimen ederes publicum, regiæque, qua ad Parnassum panditur aditus, te committeres viæ. Cognitis hisce novis, eo equidem majori perfundebar lætitia, quo arctiori Summum Numen nos esse voluit conjunctos sangvinis vinculo; quoque certius mihi constat, Te, Frater optime, omnia, quæ Frater Fratri debet, erga me, sincero ductum amore, ex asse explevisse officia. Quæ autem præterea hac occasione mearum esse partium sensi, tenuitas virium solis omnino votis absolvere jubet. Horum summa erit, velit Summus Benignissimusque DEus & his & aliis honestissimis conaminibus Tuis clementissime adesse, faustumque & felicem illis largiri successum, ut in sanctissimi sui nominis vergant gloriam, Ecclesiæ Christi, cujus ministerio Te consecrasti, commodum, Parentumque nostrorum carissimorum atque cognatorum gaudium. Hæc ex intimo pectore gratulabundus misit Fratri suo dilectissimo

Borgoæ, XVIII. Calend. Maji
MDCCLIX.

ARON LIMATIUS, filius.

m.
a
A
O-
si
O-
N-
fe-
um
IH-
NII
ru-
A-
ro-
br.
Co-
nit
Vid.
85.

Suecia
antiquitates